

Papst Innocenz II. bestätigt die Grenzbestimmungen der Diöcesen Magdeburg und Meissen.

Im Römischen Gebiet, 1137 Okt. 2.

Hdschr.: Kop. 6 (Saec. XV.) fol. 279. Staatsarchiv Magdeburg.

Gedr.: Cod. dipl. Sax. reg. II. 1,48. Jaffé 5604 (7854).

5

Innocentius episcopus servus servorum dei venerabili fratri Chunrado Magdeburgensi archiepiscopo, eius quoque successoribus canonice substituendis in perpetuum. In sede iustitie disponente domino constituti ita nos convenit paternorum canonum decreta librare, ut nulli ecclesie sua iustitia subtrahatur, nec de alterius incremento alicui possit indebite pervenire iactura. Hoc nimirum intuitu, venerabilis frater Chunrade archiepiscopo, 10 tuis postulationibus impertimur assensum^{a)}, [et diocesan,]^{b)} que Magdeburgensi ecclesie iure competit, eidem venerabili loco apostolica auctoritate firmamus addicientes etiam, ut diffinitio parrochialium finium, que tempore Heinrici filii imperatoris Heinrici in presentia tam ecclesiasticorum quam secularium inter predecessorem tuum bone memorie Wernherum archiepiscopum et Brunonem Misnensem episcopum rationabiliter facta est, illibata 15 futuris temporibus conservetur, ut videlicet provincia, que Lusitze nuncupatur, iuxta institutionem eiusdem predecessoris tui deinceps Misnensi ecclesie subiaceat, et decima mellis eiusdem provincie, sicut prius erat solitum, usibus sive stipendiis fratrum Magdeburgensium cedat. Ad utriusque vero ecclesie firmam pacem atque quietem Magdeburgensis ecclesia suis finibus sit contenta, a lapide scilicet posito ad australem partem cuiusdam 20 Burchstal, quod dicitur Bichin, inde ad Wisennasfot, inde ad aquam, que vocatur Circuisnici, inde ad Albiam fluvium, et sic protenditur usque Magdeburg. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat super hiis omnibus Magdeburgensem ecclesiam infestare aut ei quicquam temere subtrahere, sed omnia successoribus integra conserventur^{c)}, tam ipsorum quam fratrum usibus profutura. Si quis ergo in posterum huius nostre constitu- 25 tionis paginam sciens contra ea temere venire temptaverit, secundo tertiove commonitus, si non congrue satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini nostri redemptoris Iesu Christi alienus fiat et in extremo examine districte ultioni subiaceat, conservantes autem intervenientibus beatorum apostolorum Petri et Pauli meritis a remuneratore omnium bonorum domino eterne vite 30 premia consequantur; amen.

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus.

Ego Drogo^{d)} Hostiensis episcopus.

Ego [Guido]^{b)} diaconus cardinalis sancti Adriani.

Ego Gerhardus presbyter cardinalis tit. sancte crucis in Iherusalem.

35

Ego Lucas presbyter cardinalis tit. sanctorum Iohannis et Pauli.

Ego Martinus presbyter cardinalis tit. sancti Stephani.

Data in territorio Romano per manus Ailmerici^{e)} sancte Romane ecclesie dyaconi cardinalis et cancellarii vi. non. octobr., indictione prima, incarnationis dominice anno M^cxxxvii, pontificatus vero domini Innocentii pape II. anno viii.

40

121. a) assensum ut. b) *Lücke*. c) quicquam temere successoribus integra conserventur tam. d) Brogo. e) Almerici.